

DISPUTATIO PHYSICA,  
DE  
ELEMENTIS,  
QUAM  
DIVINI NUMINIS  
Auspicio  
SUB PRÆSIDIO

*Clarissimi Experientissimiq; Viri*

**DN. NICOLAI AGERII,**  
PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DO-  
ctoris Præstantissimi, naturalis Philosophiæ in Il-  
lustri Argentoratensium Academiâ Professoris  
celeberrimi, Præceptoris ac promotoris  
sui omni observantiæ cultu  
prosequendi.

*Publicè proponit, proque ingenij sui tenuitate  
defendere conabitur.*

Mense Aprili.

**JOANNES KISLINGIUS**  
Zittavia-Lusatus.

ARGENTORATI  
Typis JOHANNIS REPPI.  
ANNO M. DC. XIX.

Coll. diss. A  
141, 19

*4/A. CXIII. z.*

*Diss. A. 141(19).*

VIRIS  
CLARISSIMIS, EXPERI-  
ENTISSIMIS ATQUE PRÆSTAN-  
TISSIMIS:

DN. JOHANNI HARTIGO, Philosopho ac Medico  
clarissimo, apud Zittavienses Practico felicissimo,  
Avunculo ac alteri suo Parenti dilectissimo, omni  
observantiae cultu prosequendo.

DN. JOHANNI MOLLERO, Philosopho ac Medico  
excellentissimo, cognato ac Mœcenati suo ætatèm  
colendo.

DN. JOHANNI KÜFFERO; Philosophiæ ac Medicinæ  
Doctori celeberrimo, apud Argentinenses Pra-  
ctico felicissimo, Favitori ac Promotori suo æter-  
num venerando.

DN. GREGORIO Rieß / Civi Zittaviensi spectatissimo,  
cognato accuratori suo fidelissimo.

DN. GEORGIO BINERO, Utriusque Medicinæ Can-  
didato dignissimo, Fautori ac sympathiotæ suo  
plurimum colendo.



*Dominis Mœcenatibus, Propatriæ, Patronis, & Cognatis  
suis summa obseruantia Colendissimis.*

*Hacce studiorum suorum Philosophicorum primitiæ*

In

*Studiorum μαθήσιον  
Debitæ obseruantiae σύμβολον:  
Grati animi θερμήσιν:*

*Submisso animo inscribit, offert ac dedicat.*

**JOANNES KISLINGIUS**  
Zittavia-Lusatius.



DISPUTATIONIS  
PHYSICÆ  
*DE*  
ELEMENTIS  
*THESIS PRIMA.*



LEMENTORUM doctrina, de qua præsentem  
etrem bono Deo instituere συζήτησιν animus fert,  
vel hoc nomine crebrò frequenterque pertra-  
ctanda est, quod cum reliqua admittandæ hu-  
jus mundi machinæ corpora, unicam tantum  
in naturali scientia sedem sibi vendicent, hæc  
propter officiorum subjecti diversitatem di-  
versa etiam in eadem loca occupet.

I I.

Nam, quia Elementa partim cum supremo cœli corpore  
hoc universum constituunt ac perficiunt, partim omnium rerum  
mixtarum materialia principia existunt, ideoque priori respectu  
de ijs in libris de cœlo. posteriori verò in lib. de generat. & corrupt:  
Philosophus noster egit.

I I I.

Huius ergò nos secuti vestigia brevibus eorum contem-  
plationem thesibus proponemus, acturi de ijsdem utroque modo  
tum quatenus absolutè ut mundi partes, tum quatenus relatè ut  
mixtorum corporum principia considerantur.

I V.

Quod, ut eò melius commodiusque fiat, primò omnium,  
memores moniti Aristotelici lib. 6. Top. c. 5. nobis præscripti Ele-

A 2

menti vocē ab ambiguitate liberamus, tradentes duplēm eius acceptionem, generalem ex lib. 4. *Metaph.* c. 3. qua simplex quid, indivisibile, primum existens significat; & specialem, quæ hujus loci propria, qua notat proxima principia rerum omnium, ex quibus hæc componuntur, & in quæ resolvuntur.

V.

Hoc facto illud ex lib. 3. *de cælo.* c. 3. t. 31. definimus, quod sit σῶμα, eis ὅταν λαστικαὶ σῶματα διαιρέται, οὐ πάρχον δυναμεῖ, καὶ τὸ δὲ σίραδιαιρέτων εἰς ἑτεραὶ τὰ εἶδη. Corpus, in quod cætera corpora, in quibus potestate inest, dividuntur: ipsum autem in ea, quæ specie differunt, dividi non potest.

V I,

Simplex corpus Elementum est, non tamen ut absolutè sed respectivè, quatenus ipsum è materia & forma constans respectu mixtorum, & miscendorum, quorum principium & causa est, simplex & compositionis experts quasi esse videtur.

V I I.

Porrò quomodo elementa quæ componunt, in sint, magna Philosophantium est controversia, ita ut vix in tota hac contemplatione difficilior occurrat; quibusdam actu in hærere, quibusdam planè in mixtione interire statuentibus. Nostra, quæ sit sententia definitio Thesi. 5. allata docet, cui adjungatur lib. 1. *de ortu & interit.* c. 9.

V I I I.

Formæ Elementorum, non sunt primæ qualitates, sed propriæ formæ substantiales, à quibus qualitates primæ tanquam effectum à suis causis emanant. Arist. lib. 2. *de ortu,* c. 9. t. 54.

I X.

Nunc ad numerum Elementorum, de quo Philosophi veteres valdè discreparunt, ita adhuc recentiores non consentiunt.

X.

Anaxagoram, Leucippum & Democritum innumerum Elementorum numerū fingentes, innumeris implicari erroribus, credi-

credimus. Nam & rationem reddendi causas affectio num in corporibus, vel planè tollunt, vel certè impeditissimam efficiunt, & actu infinito naturam, à qua ipsa abhorret, onerant, & motus simplices infinitos statuere coguntur, cum cuilibet Elemento proprius motus assignari debeat.

### X I.

Neque Thaleti, Milesio, Heraclito, aut alijs unum tantum Elementum admittentibus, subscribimus: sic enim unus tantum & simplex esset motus omnium corporum: sic omnia vel essent tantum calida vel tantum frigida: sic nullum mixtum posset generari: quia omnem generationem præcedit alteratio, seipsum autem alterare nihil potest.

### X I I.

Sed quatuor à sanioribus Philosophis Elementa recensentur, nec plura nec pauciora: scilicet, Ignis, Aer, Aqua, Terra, Quorum priora duo *ἀρχα*: posteriora sub aspectum quotidiè cadunt. Arist. lib. 2. de gener. & corrupt. c. 3. t. 16.

### X I I I.

Etiam si certam figuram Elementis denegare videatur Philosophus lib. 3. de cælo. c. 8. t. 67. cum unumquodque eorum contingat undique extremitatem rei cui jungitur, & ad illius figuram se accommodet, quemadmodum experimur aquam in vase rotundo rotundam, in quadrato quadratam habere figuram: tamen cum totum universum sit globosum, & Elementa huius sint partes primariae cumque cœlesti corpore, quod circulare est, contineantur, hinc etiam Elementa eandem sortiri figuram dubium non est. Scal. Exerc. 105. Sect. 2.

### X I V.

Distinguuntur Elementa, vel ratione loci, sive motus localis: cum alia sint superiora, & sursum ferantur: Alia Inferiora, deorsumque vergant.

### X V.

Superiora sunt Ignis & Aer, innata vi & raritate sursum Semper tendentia, Arist. lib. 2. de gen. c. 3. t. 23.

X V I.

Inferiora, Aqua & Terra, quietem & perfectionem suam  
in ima sede obtainentia. Arist. *Ibidem*.

X V I I.

Vel ratione qualitatis: qua aliud dicitur esse calidum & sic-  
cum, ut est Ignis: Aliud calidum & humidum, ut Aer; Aliud fri-  
gidum & humidum, ut est Aqua: Aliud denique frigidum siccum-  
que ut Terra. Arist. *lib. 2. de gen. c. 3. t. 16.*

X V I I I.

Quanquam unumquodque Elementum, unam ex qua-  
tuor his qualitatibus maxime propriam possidet. Nam Ignis potius  
calidus est, quam siccus: Aer humidus magis quam calidus: Aqua  
magis est frigida quam humida. Terra magis sicca quam frigida.  
Arist. *Ibidem t. 23.*

X I X.

Proprietates denique Elementorum præcipue recensentur  
tres. Quarum prima est, quod Elementa quæ nobis non sunt usui,  
non prorsus sint simplicia, sed mixta, ut potè quæ propter conju-  
ctionem impuriora evaserint. Arist. *lib. 2. de gen. c. 3. t. 20.*

X X.

Ita enim ad alenda, nutrienda, & procreanda corpora ma-  
gis sunt idonea, cum ex uno puro Elemento nihil generetur. *Ibid.*  
*t. 21.*

X X I.

Ex hac prima emergit altera, quod in perpetua mutatione  
constituta, ex se mutuo generentur. Arist. *lib. 3. de cœlo c. 6. t. 55.*

X X I I.

Si enim ex se hæc invicem non mutentur, sequitur aliud  
corpus dari Elementis prius, ex quo fiant, quod negat Aristoteles  
*lib. 3. de cœlo: c. 6. t. 55.*

X X I I I.

Mutantur autem inter se alia Elementa citius & facilius;  
alia

alia tradius & difficilis. Arist. lib. 2. de ortu & int. c. 4. t. 25.

X X I V.

Facilius est transmutatio eorum, quae dicuntur συμβολικά seu quae simili sunt qualitate praedita; ut Ignis faciliter in Aerem convertitur, siccitate ab humiditate separata: Aer in aquam vicissim, si calidum a frigido vincatur. Arist. Ibidem.

X X V.

Traditor vero est in ijs, quae sunt συμβολικά, quaeque qualitatibus communionē nullā habent. Difficilis enim multa quam pauca mutantur. Ideoque ex Igne Aqua, ex Aere Terra, & rursum ex Aqua Ignis, & ex Terra Aer difficulter producitur. Arist. Ibid. t. 26.

X X V I.

Nonnunquam etiam ex duobus Elementis contrariis fit tertium quando nimirum illa duo, nulla qualitate conveniunt: ut ex Aqua & Igne, Aer, sublata ab Igne siccitate, ab Aqua vero frigiditate, humido & calido remanentibus. Arist. Ibid. t. 27.

X X V I I.

Modus huius generationis dicitur esse ipsa mutua actio duorum contrariorum, tertium producentium.

X X V I I I.

Ultima proprietas Elementorum est, quod tota non transmutentur, quod absque destructione illorum fieri non posset; sed secundum partes suas, tum inter se invicem, tum in corporibus compositis. lib. 1. Meteor. c. 3. & lib. 2. c. 3.

X X I X.

Hactenus de Elementorum natura & proprietatibus in genere consideratorum actum fuit, progredimur jam ad specialem singulorum Elementorum considerationem: in qua primas sibi IGNIS vendicat, tum ob sedis suae eminentiam, quam aethereæ regioni habet contiguam: tum ob nativam suam proprietatem, nempe calorem, qui omnibus qualitatibus primis longè est excellentior ac dignior

Euna

X X X.

Eum definimus Elementum calidissimum, siccum & levissimum. Arist. lib. 2. de gen. c. 3. t. 16: & 23.

X X X I.

Calidissimum, tum quia cœlo est proximum, & ab hujus motu semper in orbem agitur; Tum quia omnia ignita meteora, in supremo Aere à sphæra Ignis inflammantur. lib. 1. Meteor. c. 3. & 4.

X X X I I.

Siccum, propter caliditatem, quæ semper cum siccitate est conjuncta. lib. 4. Meteor. c. 5.

X X X I I I.

Levissimum, quia rarissimum; longissimeque à materia recedit.

X X X I V.

Igitur & supremum inter omnia Elementa locum obtinet, Lunæ globo proximè subiectum. Qui locus cum ei naturalis sit & proprius, figuram quoque suam communicat.

X X X V.

Hic deorsum ferri non potest, subtracto Aere, nisi vi, nec Aqua in Aeris locum succedere, nisi violentia quadam. Arist. lib. 4. de cœlo. c. 5. t. 39.

X X X VI.

Nec est, quod vere amur, Cœlum, Ignis sibi contigi voracitate, conflagraturum, cum & genere differant, & communem materiam non habeant. lib. 8. Metaph. c. 4 t. 12. magnumque sit inter Elementarem & culinarem nostrum Ignem discrimen. Ille purissimus & simplicissimus; hic impurus & corruptissimus: Ille pellucidus, hic lucidus, inque visum facile in currens: Ille omnibus generationibus inserviens; hic nihil generans sed cuncta corruptens.

Uſus

## X X X V I I

Uſus hujus Elementi eſt; vi inditi calor is aggregate ea, quæ ejusdem ſunt generis, quæ autem ſunt diversi generis diſiungere lib. 3. de cælo. c. 8. t. 74. quin & inclem tam frigiditatis terrenæ ac aquæ mitigare atque ita mixtionem abſolvere.

## X X X V I I I.

Aquæ porrò & Terræ frigiditatem temperat, & ita certum temperationis modum ſtatuit, ut mixta producantur:

## X X X I X.

Alterum Elementum, leve eſt Aēr, qui eſt Elementum moderate calidum, humidissimum, & igni levitate proximum, complens omnem locum, nullum alio corpore repletum. Arist. lib. 2. de ortu. c. 3. t. 23.

## X L.

Pauci ſunt, qui Aerem Elementum eſſe cum Lamberto Danæo hodie pernegant: nec immerito, cum non tam ratio, quam ſenſus contrarium ſuadeat. Quis enim adeo stupidus eſt, ut credat aerem nihil aliud eſſe quam aquam luce illustratam? Consequens namque foret, noctu, ubi aēr non illustratur luce, nullum aērem eſſe.

## X L I:

Magna quidem eſt naturæ affinitas inter aquam & aērem, usque adeo, ut videri poſſit aēr nihil aliud eſſe quam aqua attenuata, ſed tantum abeft, ut ex hac affinitate naturæ identitas conſequatur, ut potius diverſitas clarissimè eluceat: cum nullum ſimile idem ſit, ſed diverſum ab eo cui ſimile eſt.

## X L I I.

Moderate eſt calidum, quia proximum ſub Ignetenet locum, non nihil à Sphæris cœleſtibus remotum, à quarum motu caliditatem accipere Elementa afferit Aristoteles i. Met. c. 4.

## X L I I I.

Humidissimus verò dicitur Aēr, tūm propter ſummam  
B

qualitatem, quæ cuilibet Elemento inest: tum quia facile alieno, difficulter verò proprio termino continetur, cum sit tenuis, & per cuncta rerum permeabilis. Arist. lib. 2. de gen. & corr. c. 3. t. 23. &c. 2 t. 9.

X L I V.

Aeris regiones seu partes sunt tres, Suprema, Media, Infima. Arist. 1. Met. c. 3.

X L V.

Differunt inter se hæ regiones & quantitate, & qualitate.

X L V I.

Quantitate, quia Suprema, incipiens à cacumine montium & desinens in principio loci Ignis, longè major est reliquis.

X L V I I.

Media, & Infima, non eiusdem semper sunt quantitatis, sed alias maiorem, alias minorem habent, pro diversa temporis & anni parte, ex solis positu.

X L V I I I.

Media enim, inter supremam & infimam interjecta, æstate minor, hyeme major existit.

X L I X.

Infima econtra, initium sumens à superficie Terræ & maris, & quo usque radij à terra reflexi siliunt, se portendens, iæstivo tempore major hyeme minor est.

L.

Qualitate differunt quia suprema est calida & sicca, cum propter perpetuum primi mobilis, cum quo commovetur motū, tum propter Ignis vicinitatem. Arist. lib. 1. Mete. c. 3.

L I.

Media est frigida & humida tum ob defectum causarum calorem producentium, tum quia longius est à Terra remota, quā ut radij solares refracti, eam pertingant. Arist. Ibidem.

L I I.

Non extremitamen frigida, sed comparatione superioris & inferioris quod gravitas & levitas testatum faciunt.

Infima

### L III.

Infima Aeris regio est calida & humida: Calida propter radiorum duplicatorum reflexionem. Humida cum ob propriam Aeris naturam, tum propter humidos vapores, ex terrâ & aquâ quotidiè exhalantes, eamque inficientes. Arist. lib. 1. Met. c. 3.

### L IV.

Usus huius Elementi est maximus. Primo enim Aëris, dum per universam mixti substantiam penetrat, crassas & terreas partes subtiliores & rariores reddendo, aquas inflando, eam subigit, & ad generationem habilem reddit.

### L V.

Corporibus generatis, & in primis animantibus inservit, quoniam attractus respirando, cordis aliorumque membrorum astuantium fervorem contemperat: Spirituumque generationi conductit. Arist. de respir.

### L VI.

Denique sine hoc Elemento nec volucres volare, nec culum animatum vitam prorogare potest. Ut potè quæ in calido & humido consistat. Arist. in lib. de Iuv. & senect:

### L VII.

Hactenus duo superiora ac levia Elementa vidimus, restat nunc, ut ad duo Inferiora ac gravia, quæ simpliciter deorsum ad medium feruntur, nos accingamus.

### L VIII.

Ex his primum est Aqua: Elementum nimis grave, humidum, & frigidissimum, terram undique ambiens & interfluens Aristot. lib. 2. de gen. & corrupt. c. 3.

### L IX.

Gravis est Aqua comparatè, respectu nimis ignis & Aeris quibus subjicitur. Arist. lib. 4. de cælo. c. 4. t. 27.

### L X.

Non ita humida aqua est, ut aëris: hic enim suisterminis longè difficilius quam illa continetur, & alienis facilius. At videtur humiditas aquæ ab adjuncto frigore coerceri ut minor sit, quam humiditas aëris.

## L X I.

Secundum sensum vulgi aqua est humidior aere, quia magis humectat, cuius tamen rei ratio non est, quod humor aqueus uberior sit & intensior quam aeris, sed quia in crassiori substantia positus, dum in corporum recessus inseritur: magis in haerescit, diutiusque retinetur, quod aeris non accidit, quia tenuitate sua facile difficit.

## L X I I.

Frigidissimum vero dicimus, quia Ignis summe contrariatur, ac eius vehementiam citissime extinguit, habetque hanc tanquam in summo gradu propriam qualitatem. lib. 2. de gener. c3. t. 23

## L X I I I.

Terram ambire & interlabi docuit Ptolomaeus, qui terram unum cum aquis mutuo, & aptis vicibus distincto complexu unum globosum corpus constituere, dixit, cuius centrum mundetiam centrum est.

## L X I V.

Cur autem Aqua locum suum nativum non teneat, si quaeratur? respondemus id factum esse propter animantium, volente ita naturae opifice, qui mari terminos posuit, quos egredi non licet, commoditatem. Terra enim aquis recta nihil producere, nec animalia sustinere posset.

## L X V.

Figura eius est rotunda. Primo quidem per se, quod apparet ex partibus totius homogenei: Deinde vero cum terra.

## L X V I.

Usus huius Elementi tam insignis est, ut quidam animo eundem perpendentes, arbitrati sunt, aquam dictam esse quasi a qua omnia sunt & sine qua esse nihil queat, quod tamen nobis non adeo usque probatur.

## L X V I I.

In mixtione emollit duriora & concretiora corpora ad formam aliquam facilius suscipiendam. Terra enim nisi irrigaretur & conspergeretur humore aquo, nihil ex ea prodire posset.

## L X I X.

Deinde extra mixtionem utilitates eius suntam multae, nam frigiditate naturaliter temperat calorem Ignis, sic & hyeme & zestate,

æstate, ægrotis & sanis, & inter diu & singulis diebus utilitates eius ob oculos versantur.

### L X I X.

Elementorum inferiorum alterum terra est: quæ definitur Elementum siccissimum, frigidum eoque densum, solidum, gravissimum. lib. 2. de ort. & int. c. 3. t. 23.

### L X X.

Siccissimum est hoc Elementum, & reliquis omnibus siccius quia suo facile, difficulter alieno termino continetur. lib. 2. de ort. & int. c. 2.

### L X X I.

Frigidum partim ratione propriæ naturæ, & quod maximè remotum sit à caloris fonte: partim ratione immobilitatis, ex qua frigida fieri Elementa testatur Aristoteles. lib. 1. Met. c. 4.

### L X X I I.

Gravissimum, quia ex densitate & soliditate oritur gravitas.

### L X X I I I.

Sita est Terra, cum interfluo mari in medio mundi, centrumque fixum & immotum constituit. Arist. lib. 2. de cælo. c. 14. t. 101.

### L X X I V.

Figura terræ quod sit rotunda, quælibet illius pars non obscurè probat, quæ etiam figuram respuens suis motibus conglobatur. lib. 2. de cælo. c. 14. t. 101.

### L X X V.

Maximè tamen ex Ecclepsī Lunari hoc est conspicuum, ubi Luna percircularem sectionem lumine privatur, quod non aliunde oritur, quam quod Terra, cuius interjectu obscuratur, rotunda est & globosa. Ibidem. t. 109.

### L X X V I.

Officium ac munus terræ in mixtione est aëris & aquæ mollitiem suâ siccitate temperare, & humorem, suâ naturâ fluentem cohibere ac fistere.

### L X X V I I.

Alias corpora concreta etiam confirmat ac durabiliora reddit, ut formas & figuras diutius conservent: animantium autem,

imò omnium creaturarum viventium beneficentissima mater, e-  
iusdem suo gremio & excipiens nascentes & fovens atque com-  
plectens natas.

### LXXVIII.

Atque hæc de Elementis quantâ potuit fieri brevitate, di-  
cta sunt: in quorum consideratione ne altius in hoc rerum Phi-  
losophicarum æquor cymbā nostram immittamus, vela huius di-  
putationis complicantes portum respicere & carinulā subducere  
animus est. DOMINUS JESUS summus Archiatros adspiret im-  
posterū quoque cœptis nostris, ut omnia nostra instituta, ten-  
dant ad nominis sui gloriam & orbis Christiani emolumenū.

---

## AD ORNATISSIMUM Dn. RESPONDENTEM.

### I.



Vàm benè, dum Medicam Genius te ducit ad Argem,  
Per primas graditur nunc tua Musa vias!  
Hem, sapis! hæc lex est Naturæ: ut tangere Summa  
Nemo queat, medios nî premat ante gradus.  
Perge age: nam Medium si facti qui benè cœpit  
Hic habet: En, restent quàm tibi pauca, vides?

Benevolentiae causâ P.

Nicolaus Parman Pragensis  
Med. D.  
F. M. B. A.

### II.

DVm tu conscendis cathedram, KISLINGE, Sophorum,  
Tractans, quæ Physice considerare solet.  
Perge ita, prende gradu vestigia cœpta tenaci,  
Ulteriusq; pedes dirige ad alta tuos  
Sic in te pietas, mores, doctrina, fidesq;  
Nominis & patrj restituetur bonos.

Sic

Sicut laus patriam, sic & decorabit amicos,  
Semper & aeterno nomine clarus eris.  
Interea Christus tua vivida cæpta secundet,  
Fac sis BINERI tempus in omne memor.

Honoris ac amoris ergo  
deproperabat

Georgius Binerus

III.

**S**unt qui perpetuae querunt præconia famæ  
Quorum laudis amor pectora honesta trahit.  
Sunt quos elatus tumidos præcordia fastus,  
Ambitio, & vulgi gloria vana tenet.  
Turpius his nihil est contrari pulchrius illis,  
Quorum IANE reor te quoq; castra sequi.  
Nam te virtutis meritum, famæq; cupidus  
Sollicitat, studium quod probat hocce tuum.  
Id probat hocce tuum studium, quo dante Sophia  
Excolis ingenio prima Elementa tuo.  
Bellè equidem: belle, labor hic non irritus esto,  
Multum in principiis addidicisse juvat.  
Rectè equidem: recte, est studiis res ista salubris,  
Quæ dat propositi tangere posse scopum.  
Namq; ut simplicia hæc primùm, sic cætera mixta  
Cognoscetis faciliter cuncta labore dein.  
**C**æptis macte tuis, (stimulos dabit æmula virtus)  
Desine nec spartam condecorare tuam.  
Hinc non vulgaris surget tibi gloria IANE, &  
Laus magno famæ fænore parta tua.

Ειλαδελφίας χάριν occinebat  
Matrueli suo

Andreas Wittwerus Zittaviæ-Lusatius.

Eidukos

IV.

**E**i διχρόντικαδὼς πράξης, μετὰ ἡδεος· οὐ  
Ποίησε πόνον μετὰ πλείστη λοτεκαλὸν·  
Οἴχεται δὲ πόνος τῷ διχρόνικαλόντερῷ μίμηται.  
Οὐτω, αὖν δακὺ ἔνδα πόνον μετὰ τοῦ μεγάλου,  
Τῶν περὶ τοιχίων λέξας, μίμηται, πόνος εἶσι.  
Τὴν δόξαν γὰν μὴ πρῶτον φυτῶν καλὰ ρέζε,  
Καν ποιῶν μὴ πᾶσιν ἐπανεῖδαι ποτέ μέλης.  
Ωσε ἔση χαρίεις σοις συγγενέσιν φίλοιστε  
Καὶ ἔξης αἰφνικλέος ἐν θυτοῖσιν ὄπισθα.

Τῆς φιλοφροσύνης ἐνεκεν  
adposui

Jacobus Aperodi Zittaviensis.  
Sacr. lit. Stud.

V.

**G**ratari multos video tibi chare IOHANNES,  
Id quoq; quò faciam poscit amicitia.  
Gratulor ergò tuis cæptis & comprecor illa,  
Quæ tibi sincero corde precandas fieri.  
Nempè tuis cæptis adsit regnator Olympi,  
Et faustè studium dirigat ipse tuum.

Amoris testandi causa  
conterraneus F.

Henricus Holtzhammerius  
Lippâ-Bojemus.

F I N I S

Coll. diss. H 141, 19